

è conuerso se habet, per prius, videlicet vnam veritatem, & simplicem considerat, & in illa potius multitudinis cognitionem, capit, sicut Deus intelligendo suam essentiam omnia cognoscit; quare idem Dionysius ibidem ait; quod Angelorum mentes habent intellectualitatem in quantum intelligibilia diuinorum, intelligunt.

31 Sic igitur clarum est, quod consideratio ad intellectualem terminatur secundum viam solutionis, in quantum ex multis ratio porriget vnam, & simplicem veritatem, & rursus intellectualis consideratio est principium secundum viam compositionis & inuentionis, in quantum intellectus in vno multa comprehendit; illa igitur consideratio, quæ est terminus totius humanæ ratiocinationis, maxime est intellectualis consideratio; tota autem rationis consideratio resoluentis in omnibus scientiis ad cognitionem diuinæ scientiæ terminatur; quandoque enim ratio procedit de vno in aliud secundum rem quando est demonstratio per causas, aut per effectus extrinsecos, componendo, quando proceditur a causis ad effectus, & resoluendo quando proceditur ab effectibus ad causam, eo quod causæ sūt effectibus simpliciores, & magis immobiliter & vniiformiter permanentes: Vltimus ergo terminus in hac via est, cum peruenitur ad causas supremas, maxime simplices, quæ sunt substantiæ separatæ, quandoque vero proceditur de vno in aliud secundum rationem, vt quando est processus secundum causas intrinsecas, componendo quidem, quando videlicet a formis maxime vniuersalibus in magis particularibus proceditur; resoluendo autem quando è conuerso, eo quod vniuersalius est simplicius, maxime autem vniuersalia sunt, quæ sunt communia omnibus entibus; & ideo terminus resolutionis in hac via est consideratio entis, & eorum, quæ sunt entis, in quantum huiusmodi; hæc autem sunt de quibus scientia diuina substantiã considerat, videlicet separatè, & communia omnibus entibus; vnde liquet, quod sua consideratio est maxime intellectualis.

32 Conclusio 4. physica secundum se est dignior mathematica; tenent multi sequentes Aristotèlem magistrum suum, 6. metaphysices textu 3. ex eo quod, dicunt illi, si non esset aliqua alia substantia præter naturalem, physica esset prima scientia, ergo secundum se, ita comparatur physica ad mathematicam, ac metaphysica ad scientias omnes, quia est illis nobilior.

Probo etiam ratione, nam mathematica plura principia, ex
qui